



E Civitate Vaticana, die 9 Januarii 1964

**SACROSANCTUM OECUMENICUM CONCILIUM
VATICANUM II**

COMMISSIO DE DOCTRINA
FIDEI ET MORUM

Ill. me ac Rev. me Domine,

Augustae voluntati Summi Pontificis obtemperans ac insimul statuitioni Commissionis de coordinandis laboribus Concilii, muneri mei duco principia ac regulas quae Beatissimus Pater pro Peritorum laboribus statuit Tecum communicare.

Uti patet ex Litteris adnexis quas Em. mus Cardinalis Secretarius Status, mihi ceterisque Praesidentibus scripsit, Summus Pontifex plurimi facit opera Peritorum, quorum haud pauci multis iisdemque implexis quaestionibus curandis diligenter omnino et assidue adlaboraverunt.

Quo vero magis magisque in bonum Concilii eorum in posterum opera cedat et Concilio intime connexa permaneat, Periti vetantur ne privatus coetus vel factiones celebrent, ne proprias singulares opiniones publice defendant.

Similiter abstinere debent a negativis de Concilio proferendis judiciis, a communicandis cum externis de Commissionum laboribus notitiis, admissim servantes ea quae Summus Pontifex statuit de secreto circa labores Concilii.

Certus sum Te ceterosque Concilii Peritos pro reverentia quam erga Beatissimum Patrem habes, Augustam Suam Voluntatem grato ac prompto animo accepturum et in actum deducturum esse.

Gratum mihi est novo hoc ineunte anno omnia fausta feliciaque Tibi ominari meque profiteri

Tibi addictissimum

A. Card. Ottaviani
Præf.